


INSTITUTIONES HISPANÆ
PRACTICO-THEORICO
COMMENTATÆ.

AUCTORE

D. ANTONIO A TORRES ET VELASCO, SALMANTINO PROFESSORE.

DICATÆ

CATHOLICIS REGIBUS
DOMINIS D. PHILIPPO V.
ET D. ELIZABETH FARNESIO.



CUM PRIVILEGIO REGIS.

MATRITI : Apud Hæredes Joannis Garcia Infanzon. Anno MDCCXXXV.

CATHOLICIS HISPANIARUM,
INDIARUMQUE REGIBUS,
DOMINIS
D. PHILIPPO V.
ET D. ELIZABETH FARNESIO,
GLORIOSISSIMIS.

REM cunctis breviorē, clariorē, ac uti-
liorē, Vobis omnium maximis dico: ut
pariter jungat epistola, quos magnitudo
meritorum ita æquat, ut prorsus animi
dubius reddat, utrum utri præferam, adeo suis uter-
que virtutibus summus occurrit. Tibi, ò Magnanime
PHILIPPE V. Hesperiaë nostræ Mars invincibi-
lis, quod omnium sis Catholicissimi, Christianissi-
mi, Piissimi, Benignissimi, animique Justificatissimi:
& Tibi, ò ELIZABETH, quod omni virtutum ge-
nere, & doctrinaë sic præcellis, ut viris, ac foeminis
speculum sis, & miraculum; ac Te, vnica mundi Mi-
nerva, sceptrâ tenente, jam verè sit Parma cunctis
prækata regionibus; fiatque Tui potius, quam tanti
regni possessione foelicior Tuus, noster, imò vni-
versorum, PHILIPPUS. Ut igitur rem agrediar, ex
Libris Novæ Recopilationis, Rerum quotidianarum
vsu,



INSTITUTIONUM HISPANARUM PRACTICO-THEORICO COMMENTATARUM. LIBERI.

PROOEMIUM.

Invocatio, Dedicatio, & Salutatio.

IN NOMINE SANCTISSIMÆ, ET INDIVIDUÆ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: & sub auspicijs Domini. D.

PHILIPPI V., ET DOMINÆ D. ELIZABETH Farnesio, Hispaniarum, Indiarumque Regum Catholicorum Hispaniæ legum avidæ juventuti. A. T. V. salutem. D.



Trinitatis) Si Hispani Reges in legum libris conscribendis, non ab alio exordium capiunt, quam ab altissimo tractatu summæ, & individux Trinitatis, l. 1. tit. 1. R. s. si Justinianus Codici suo non aliud principium tribuit, quam primum titulum

de Summa Trinitate: item Gregorius IX., Bonifacius VIII., & Clemens V. ab ea auspiciantur: quid mirum, ut in nostris Institutionibus pro fundamento, ac proœmio firmiter assumatur, aut sub ejus invocatione incipiatur.

Philippi V.) Ex Gloriosis Progenitoribus nostri Philippi V. quatuor sunt, qui etiam hoc nomine vocati fuere: ex eis Primus fuit cognomento Pulcher: (fuit Filius D. Imperatoris Maximiliani I. & Pater D. Imperatoris Caroli V.) Secundus Prudens: Tertius Pacificus, & Sanctus: Quartus Magnus: Quintus vero noster Magnanimus.

Elizabeth Farnesio) De Excellentijs Serenissimæ Domus Farnesio Vid. D. Ludov. Salazar. in sua Domo Farnesio.

Hispaniarum.) Non solum hic intelliguntur Reg-

TITULUS I.

DE JUSTITIA, ET JURE.

1. *Partitio, & series totius operis.*
2. *Justitia vulgata distributio explicata.*
3. *Etiā universalem iustitiam discipline civili propositam.*
4. *Utrum iustitia in universalem, & particularem distributio necessaria? Scepticè.*
5. *Varia iuris significata, & qua in significatione hic hoc verbum accipiat.*
6. *Summa eorum, quæ hoc titulo tractantur.*



UO hæc in omni iure constituto insunt, ius ipsum, sive lex, quæ iubet, & constituit; tum res, quæ eo iure iubetur, constituiturque: ac proinde universi iuris tractatio duabus partibus continetur; qua-

rum una est de iure constituyente, sive de legibus, qua naturalibus, qua civilibus; altera de iure constituto, sive de eo, quod legibus sancitum, cautumque est: Et quia prima natura questio est de iure constituyente, de eo etiam primo loco Veteres tractaverunt, ut animadvertere licet in Digestis, & Institutionibus Iustineaneis: in quibus prima questio proponitur, atque absolvitur primis titulis; in illis quatuor primis: in istis duobus prioribus: reliquo opere agitur de iure constituto. Idem in Septem Partitarum libris, & nostris Institutionibus observatum est. Siquidem duo priores tituli primam questionem continent: reliqua parte, altera questio, quæ multo latius patet, tractatur, atque absolvitur: initio facta à discretionem materiae, sive subiecti huius scientiæ: quæ divisio in hac questione omnium prima est generalissima. Inscrubitur hic titulus de *Justitia, & jure*. Aristoteli, & plerisque moralis Philosophiæ Professoribus Justitia duplex est: universalis, & particularis. Ad universalem pertinet tritum illud Poetæ Gnomologi: *Justitia universaliter sumpta virtutes omnes comprehendit*. Comprehendit scilicet in se hæc iustitia etiam aliarum virtutum omnium officia peculiari tamen cum respectu, quatenus nimirum illa necessaria sunt, aut conducunt ad perfectionem, & conservationem civilis societatis, ut nequid admitatur contra rationem, aut honestatem, quod non admitti vel publice, vel private interfit. Hæc eadem iustitia & legalis dicitur, propterea quod non minus late patet,

quam ipsæ leges, quæ etiam sunt regula, & norma huius iustitiæ: unde à Cicerone 1. de *Legib.* definitur: *Obtemperatio scriptis legibus, & institutis Populorum*. Ab Aristotele 5. *eth.* 1. *Obedientia erga omnes leges*. In summa hæc iustitia à virtute in genere non differt essentia: sed hæcenus tantum, quod quando consideratur ut habitus animi, dicatur virtus simpliciter: quando ut civilis societatis conservatrix, iustitia, auctore Michaelæ Ephesio *ad 4. loc.* Arist. Vitium huic legali iustitiæ oppositum dicitur *transgressio legis*. Particularis iustitiæ duas species constituunt, quarum alteram *distributivam* Aristoteles vocat, alteram *commutativam*. Distributiva respicit dignitatem, sive condignum, quod quisque meretur; quod cuique convenit, sive id præmium sit, sive pena; sive honor, sive onus. Commutativa suum cuiusque proprie sumptum spectat, & alio modo melius *correctiva* à Philosopho appellatur: nam ut possessor rei maxime eam mihi reddat, non est contractus, & tamen ad eandem hanc iustitiam pertinet. Illud quoque perpetuum non est, quod plerique tradiderunt, à iustitia commutativa respici proportionem simplicem, quam Arithmetice vocant: à distributiva comparatam, quam appellant Geometricam, quæ Mathematicis, & re vera sola proportio est: neque enim perse iustitia commutativa à distributiva differt tali proportionum usu; sed obiecto, & materia circa quam versatur. Nam & contractus societatis capitur proportionem comparatam: & si vnus tantum aptus inveniatur ad munus publicum obeundum, non alia quam simplici commensatione attributio sit: & contra si quis de suo legare velit, distributiva iustitia ut solet, & merita considerare 1. 9. *D. pro socio*. Sed in delictis coercendis, penarumque irrogatione modo Arithmetica, modo Geometrica proportio servatur, quod tamen totum est iustitiæ distributivæ. Grot. 1. de *Jur. bell. & pac. cap. 1. n. 8.* Vitium particulari iustitiæ oppositum *injuria* dicitur. Disciplina civilis non dirigit internas animi functiones; & potissimè versatur circa iustitiam particularem in eius iuris obedientiam animo formans, cuius executio in iudicijs vrgetur. Negari tamen non potest, quin interim quoque spectet iustitiam universalem, quæ omnium virtutum officia complectitur. Docet enim iuste vivendum esse secundum

reat, eam confirmabit, si iniusta re
vocabit.

COMMENTARIUS.

Diximus in rubrica huius tit. appellationem esse quamdam provocationem ab inferiore iudice ad superiorem factam, illius iniquitatis emendandæ gratia; quod quidem & hic locus ostendit: etenim superiori hoc relictum est, ut causa ad se per appellationem devoluta, optimè, & benè examinata, si iudex à quo iniuste fecit sententiam pronuntiando, iniquitatem ejus corrigat, eam revocando, & quicquid justum ei videbitur, judicando: si verò justè, & æquè pronuntiabit; tamquam custos æquarum sententiarum, omninò eam confirmabit: quod si partim justè, partim injustè illum invenerit pronuntiasse, illud confirmabit, hoc autem revocabit.

TEXTUS.

5. *Restat ut pro conclusione huius brevis operis admoneamus, quod si officio iudicis sententia fuerit lata, & ab ea non provocatum, aut si provocatum, à superiore fuerit confirmata, statim executioni mandatur.*

COMMENTARIUS.

FINIS, & effectus sententiarum in primis est finire litem, & finire potestatem iudicis, quia is postea quam semèl sententiam dixit,

quoad eam causam desinit esse iudex, leg. *Judex 55. D. de Re judic.* Et ideò sententiam semèl dictam non potest mutare, emendare, corrigere, aut revocare, leg. *quod jussit 14. D. de Re judic.* quamquam in interlocutoriis hoc autem admissum est. Secundo facere jus inter partes, inter quas lata est. Tertio producere actori pro quo lata est, actionem iudicati, sive rei judicatæ, ut præstet reus id, in quo condemnatus est, satisfaciaturque sententiæ leg. *actori 8. C. de Reb. cred.* Reo verò per sententiam absoluto exceptionem rei judicatæ contra actorem, ejusque hæredem, vel alium ejus nomine agentem, leg. *Rei judicatæ, D. de Except. rei judic.* Denique finis, & effectus est, ut statim executioni mandentur. Cæterum hæc omnia tum procedunt cum ab eis non fuerit appellatum, aut si appellatum, appellatio deferatur; at si ab his appellatum fuerit, aut adhuc intra tempora ad appellandum, executioni non mandantur, sed omnia hæc in suspenso manent, donec à superiore fuerint confirmatæ. Quod si revocate à superiore fuerint, & ab eo iterum appellatum, aut supplicatum, aut intra tempus ad appellandum, aut supplicandum, itidem omnia in suspenso manent, nec executioni mandantur. Quod si aut non fuerit ab eo appellatum, aut supplicatum, aut appellatio, aut supplicatio deferatur, prout superior decrevit executioni mandantur. Illud scire oportet, quod sunt quædam, & multæ causæ in quibus licet appellatio concedatur, tamen executioni ponantur: veluti in causis alimentorum, gregumque pascuorum, aliarumque similium.

FINIS, ET GRATIARUM ACTIO

Sacrofanctæ, & individuæ Trinitati, Crucifixi Domini nostri Jesu Christi Humanitati, Beatissimæ, & Gloriosissimæ semper Virginis **MARIÆ** Immaculatæ Conceptioni, fecundæque integritati, & omnium Sanctorum vniuersitati sit sempiterna laus, honor, & gloria ab omni creatura per infinita sæcula sæculorum.

Amen.